S. P.

Obsequor aliquando mandatis Tuis, Reuer.do Pater; ac, nisi cum Patre colloquar, animo dixerim aegro atq invito: adeo id me male habet subjicere cuiusquam vel doctioris judicio compositiunculas meas, priusquam publico eae officio perfunctae sint; ad quem usq diem ut sine authoris eripiantur ab extraneo non sine vi atq iniuria, à Parente non sine Patriae magis potestatis quam charitatis impulsu fieri videtur. Neq ita tamen ut supra censuram omnem collocata mea mihi arroganter persuadeam; sed, ut verbo quod res est eloquar, vix ab animo meo impetro ut correcta ab alys versa pro suis deinceps agnoscat; unde quod prius cum ~~[illegible]~~ voluptate contexueram, mox cum taedio recitaturus sum, siquidem Tu hisce Censoriam, quod vereor, virgulam inducis. —

Poematium epilogicum quod vides Thesibus subjungendum non inepte censui; Tu videris an Typos mereatur. Vale, Pater Colend.me et Fratris vel Avunculi oculos quaeso in haec arcana ne admitte. Raptim Leidae xi°. Cal. Quint. CIↃIↃCXVII.

Quod de Gallico Poemate frater meo nomine rogabit, si me meamq famam diligis, quaeso ne recusa.

Obseruantiss.mus Tui Filius
Constantinus.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/26